


06

A

970









3. 301  
Cursus Philosophici

DISPUTATIO III.

De

SYNONYMIS,

PROPOSITA

In Alma VVitebergenfi Aca-  
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI

Profess. Log. & Phil. Pract. Publ.

*Respondente*

STEPHANO LOSSITS

Tsakthorniense.

*Ad diem 13. Decembris, loco &  
horis consuetis.*



VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1615.



ILLUSTRI SPECTA-  
bili ac Magnifico

Domino

Dn. PAULO à NADASD:  
Comiti terræ Fogaras perpetuo: Comi-  
ti Comitatus Castri Ferrei  
Supremo &c.

*Domino suo Gratosissimo,  
Nutritio liberalissimo,  
Mecenati munificentissimo*

Ἦος Γύμνασμα λογικόν; αἰδεσίμως  
καὶ ταπεινῶς:

Inscribit ac dedicat:

*S. L. C. Respondens.*





# Curfus Philosophici

## DISPUTATIO III.

*Continuatio.*

**A** *D specialiore Logica  $\sigma\upsilon\lambda\lambda\upsilon\gamma\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$  progres-  
sum facientes, ordimur eam à com-  
muni parte Logica, quæ de formali  
Syllogismi ratione agit. Quia autem  
Syllogismus Logica finis internus  
est: ad eum cetera noemata Logica omnia referatur,  
sive ea formentur in doctrina Categoriarum, sive in  
doctrina de Enunciationibus. Ut igitur ordine pro-  
cedamus, totam de formali Syllogismo doctrinam  
dividimus in partem unam, quæ circa principia  
Syllogistica in se considerata occupata est; & in al-  
teram, quæ de structura Syllogismi ipsa præcipit.*

### THESIS I.

**P** *Rincipia Syllogistica sunt duplicia, simplicissima, remota, &  
omnium prima: de quibus Philosophus noster agit in libro  
 $\kappa\alpha\tau\eta\gamma\omicron\rho\iota\omega\acute{\nu}$ : vel sunt complexa sive composita, ut prædicatio-  
nes sive enunciationes, de quibus idem in libro de Interpreta-  
tione.*

**II.** *Divisionem hanc inculcat Philosophus lib.  $\kappa\alpha\tau\eta\gamma$ . cap. 2.  
ubi τὰ λεγόμενα dividit & inquit: Eorum, quæ dicuntur, alia secun-*

*A 2 dum*



*cum complexione. ut Homo cūrrit: Homo vincit: Sine complexione, uē-  
homo, bos, currere, vincere.*

III. *Λεγόμενα igitur ἀνευ συμπλοκῆς sunt simplicia νοή-  
ματα: λεγόμενα νετὸ κατὰ συμπλοκῆν sunt Enunciatio-  
nes.*

IIII. *In simplicium Logicorum νοημάτων efformatione  
respicit Logicus immediatè ad suum subjectum operationis,  
quod omne Ens finivimus, & per decem prædicamenta distri-  
buimus.*

V. *Quemadmodum autem res sive ὄντα per Enunciationes  
sive prædicationes ita disponi & informari debent, ut aptæ &  
habiles sint, quæ tanquam Propositiones, ingrediantur in Syll-  
gismum, eamque constituent: Sic quoque res hîc primò forman-  
dæ sunt, ut fiant aptæ ac habiles ad prædicandum sive enuncian-  
dum: hoc est, ut, tanquam partes, Enunciationes constituere  
queant: cum nulla res, ut res, nullum Ens, ut Ens, aptum na-  
tum sit ad prædicandum, nisi per operationem mentis aptitudo,  
illi imprimatur.*

VI. *Quando ergo Logicus ὄντα primū aggreditur, considerat,  
an illis insit obedientialis potentia recipiendi aptitudinem ad  
prædicandum, hoc est, νοηματα secunda simplicia; an non in-  
sit, vel etiã ad illam nullam rationem habere possint.*

VII. *Si hoc: vocat res illas, sive ὄντα illa ὁμώνυμα: Quæ  
ita definit Philosophus. Ὅμώνυμα sive Æquivoca dicuntur, quorum  
nomen solū commune est: ad illud verò nomen accommodata definitio diver-  
sa; ut homo pictus & homo verus.*

VIII. *Ubi nomen (Homo) æquivocum est; & pictus enim  
& verus homo eo denominatur: nihil autem commune habent,  
præter nomen hominis: cū aliter pictus, aliter verus descri-  
batur.*

IX. *Tria autem potissimum requiruntur, ut aliqua secun-  
dam aliquod nomen dicantur Æquivoca: 1. Æquivocum nomen.  
Singulæ enim res quando peculiaris sua habent nomina, non æ-  
quivoca rectè dicuntur. 2. Diversas habeant definitiones. Si enim  
plura illa unicam habent definitionem, non æquivoca sed uni-*

*voca.*



voca sunt. 3. Ut definitiones illæ diversæ, *distinctæ sint circa illud nomen.*

X. Homonymis igitur hisce rejectis, ad operationem Logicam veram se accingens Logicus, res considerat, partim *ut sunt*, partim *ut insunt*. Hanc enim divisionem rerum instituit Philosophus *lib. Categ. cap. 2.*

XI. Duplex hæc rerum natura duplex *vouµα* secundum universale gignit in mente hominis: *Univocum*, *Denominativum* alterum.

XII. Omne enim quod prædicari debet, sive modo usitato, sive inusitato; sive regulari sive irregulari, ad duos hosce modos prædicandi generales revocari debet, ita ut omne id prædicatum, quod dicat esse, sit *Univocum*, & omne, quod dicat inesse, sit *denominativum*.

XIII. Ut enim id, quod est, ipsa essentia est; ita etiam in prædicatione essentiam dicat: contra verò, ut id, quod inest, non ipsa essentia est; sed essentiae aliquid superaddit: ita quoque non essentiam ipsam notare debet; sed essentiam quasi extrinsecus denominare.

XIV. Ergo ut *εὔτα* ad prædicandum fiant apta, oportet, illis respectus & conditio imprimatur, quæ vel *συνώνυμα*, vel *παρὰ-ῥωµα* dicantur.

XV. *Συνώνυμα* sive *univoca* sunt, quorum nomen commune est, & secundum nomen definitio eadem. Ut *Hominis* & *Equo* nomen animalis; & secundum illud definitio (qui sunt corpora animata sentientia) convenit.

XVI. Definitionem autem accipe sive perfectam, sive Imperfectam: quam *ἁπλοῦς* descriptionem vocant: quia etiam summa genera, licet definiti perfecte nequeant; univocè tamen de suis inferioribus dicuntur.

XVII. Cæterùm quæ univoca sunt, propriè Philosopho de subiecto dici vel subiecto attribui dicuntur, ut patet ex *cap. 5.* & multis alijs locis libri *Categor.* Ibi enim Aristoteles: *Perspicuum est, inquit, eorum, quæ de subiecto dicuntur, necesse est, & nomen & definitionem attribui subiecto.*



XVIII. Opponit igitur ibi Philosophus κατ' ἰσοκειμένω λέγεσθαι: & ἐν ἰσοκειμένω εἶναι. Statim enim subiicit: Eorum vero, quæ sunt in subjecto, pleraq; sunt, quorum neq; nomen neq; definitio tribuitur subjecto.

XIX. Pertinet ergo ad univoca hæc in genere considerata regula antepredicamentalis prima: Cum alterum alteri tribuitur, tanquam subjecto, quæcunq; de attributo dicuntur, eadem de subjecto dicuntur.

XX. Quæ regula triplici nititur fundamento: 1. Quia omnia Synonyma ad idem pertinent prædicamentum. 2. Quia σὺνωμόως prædicantur superiora omnia de inferioribus. 3. Quia genus Synonymum ex æquo suis tribuitur speciebus: Speciesq; Synonyma æquo generis sui definitionem admittunt.

XXI. Porro Univoca in specie sunt tria illa priora prædicabilia: Genus, Species, & Differentia, ut expresse monet ac docet Aristoteles lib. Categ. capite quinto.

XXII. Genus, Logicè acceptum, est, quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quid.

XXIII. Dicitur genus prædicari de pluribus: Quandoquidem potentia ejus per speciem unam non adimpletur. Habet enim essentiam indifferentem, quæ per differentias oppositas vult determinari.

XXIV. Verùm oppositio non nisi inter plura, & ad minimum inter duo esse potest. Nullum igitur verum genus unicam duntaxat habet speciem.

XXV. Additur: prædicari id de specie differentibus, Quandoquidem cum illis proximè cohæret, non ita cum Individuis. De his igitur non immediatè sed mediantibus speciebus prædicatur.

XXVI. Tandem concluditur descriptio modo prædicandi: nempe quod prædicetur in Quid. Genus enim Quidditatem speciei, eamq;



eamq; per modum totius explicet: Cum non prædicetur de specie ut pars, sed ut totum.

XXVII. Illa enim totam dicit, exprimitq; omnes partes essentielles, si quas habet, licet non satis distinctè & determinatè. Ut enim homo est aliquid constans materia & forma, quæ est vita, sive anima: ita quoque utramque dicit animal; sed non distinctè explicat qualitatem illius vitæ: quippe quæ duplex respectu animalis datur: rationalis & irrationalis.

XXVIII. Est porro Genus aliud ἀνώτατον ἢ γενικώτατον summum seu generalissimum, quod de omnibus ejusdem ordinis, tanquam inferioribus, dicitur, ut decem Categoria: aliud ὑπάλλουν genus intermedium sive subalternum: quod positum inter summum & imam speciem, superiorum respectu species est, inferiorum genus, ut Substantia, corpus, corpus animatum, animal, homo: Substantia est genus summum: Homo est species infima: Cetera omnia sunt intermedia.

XXIX. Species Logica est, quæ generi subjacet, & de qua genus in quid prædicatur.

XXX. Est vel subalterna, quæ eadem cum genere intermedio, vel ima sive specialissima (εἶδος εἰδικώτατον) quæ proxima est individuis; & definitur, quæ de pluribus differentibus numero, hoc est, Individuis, prædicatur in Quid.

XXXI. Arque hæc infima species propriè alterum prædicabile in Illogice Porphyriana constituit. Nam species non est prædicabile, ut subijcitur, sed ut prædicatur: ut autem prædicatur, totam Individui naturam sive essentiam exprimit: & propterea, quando species de Individuo dicitur, novum hinc oritur prædicabile, quod non fit in prædicatione generis; sive id prædicetur de speciebus infimis sive intermedijs.

XXXII. Pessimè igitur à Ramistis Species cum Individuis confunduntur, quando ineptè contendunt, Individuum propriè



prie esse speciem specialissimam; id verò, quod Peripateticis  
ima species est, genus posse vocari & esse; atque ita, v. g. ho-  
minem genus esse singulorum hominum. Quod non modo pu-  
gnat contra Porphyrij cap. 3. sed etiam Aristotelem lib. β. Metaphys.  
cap. 3. text. 11.

XXXIII. Quamvis enim populariter loquendo Genus  
vocare omne id soleamus, quod pluribus attribuitur: sicut  
ICTI dicere consueverunt in commodato, eandem speciem, in  
mutuo, idem genus reddendum l. 2. ff. de reb. cred. Philosophi-  
cè tamen & accuratè loquendo, Homo, non est genus; nec ejus  
Individua sunt species.

XXXIV. Species namque est universum quid & commu-  
nis quaedam natura sive essentia, definitioni ac demonstratio-  
ni subiecta: quæ sub sensum cadere nequit, lib. β. Metaphys.  
cap. 2. & 9. item lib. ζ. Metaphys. cap. 7. l. 23. & t. 11. t. 37.

XXXV. Atqui Individua sunt res singulæ, lib. Categ. cap.  
2. & 5. quarum, utpote sensibus expositarum, & nihil quic-  
quam stabile habentium, neque definitio est, neque demon-  
stratio, lib. ζ. Metaph. cap. 15. l. 33.

XXXVI. Adhæc: Cujuslibet Generis species differunt  
formis specificis. 4. Top. cap. 6. Singuli homines non diffe-  
runt formis specificis, sed tantùm subsistentia & accidenti-  
bus individuauribus, uti id fufius demonstrant ac decla-  
rant Metaphysici: Ergo horum singulorum hominum ge-  
nus non est; nec V. G. Socrates, Plato, Aristoteles, sunt ejus  
species.

XXXVII. Individuum Scholastici aliud nominant vagum  
seu particulare, quod nomen totius ad partem contrahit, ut Ali-  
quis homo: aliud signatum, quod hujus est loci, & describitur  
παχυλῶς vox singularis, quæ unam tantum rem significat.



XXXVIII. Individuum prædicabile esse negamus, quia æquivocè de pluribus non prædicatur: quamvis ὁμωνύμως interdum nomen Individui pluribus attribuat; simulque in subiecto esse possit, ut Individua accidentalialia: hæc Grammatica, hæc Logica. Videatur Philos. libi Categ. cap. 2. in fine.

XXXIX. Tertium prædicabile σωνύμων cum Aristotele fecimus Differentiam, Ἄξ. Ποσά: quæ æquivocè triplex datur. 1. Communis, ut divitijs Cræsus differt ab Iro. 2. Propria, ut facultate ridendi differt homo à bestijs. 3. Propriissima: quæ & εἰδοποιός specifica dicitur, & cum ad essentiam speciei pertinet, ideò sola est; quæ σωνύμων tertium constituit, Isag. cap. 4.

XL. Definitur autem prædicabile in QVALE QUID, aliam efficiens speciem, & ad naturam ejus declarandam sive definiendam pertinens: cum è diverso communis & propria differentia non τὸ ἄλλο aliud, sed ἄλλοῖον alteracum efficiat; nec ad naturam rei declarandam assumatur, nisi in defectu propriissimæ.

XLI. Sunt differentia hujus tres actus: 1. Est dividere. Dividit enim genus in suas species, unde διαπερικτὴν divisiva. 2. Est cum Genere speciem constituere: unde συστατικὴν constitutiva. 3. Est speciem ab alijs omnibus distinguere, unde Ἄξ. Ποσά differentia dicitur: Isag. cap. 4. lib. 8. Metaph. 9. lib. 7. c. 12.

XLII. Ex quibus porro actibus ratio sumitur, quare differentia prædicetur in Quale quid de specie. Quatenus enim Speciem constituit, de quiditate ejus est: quatenus verò dividit, determinat, ac distinguit, qualitatis rationem quodammodo habet.

XLIII. Quia verò πρῶτος non speciem dividit & determinat, sed genus, ut fiat species; potius respectu generis qualitas quædam dicenda est, quàm respectu speciei. Et quia non immediatè de specie prædicatur, sed mediante genere (quæ ratio est, cur in Topicis differentia non peculiare prædicatum constituat) atque ideò in prædicatio utrumque & Genus & Speciem, respicit; respectu speciei in quid, respectu generis in quale prædicatur.

XLIII. Id quod suo modo per quaestiones naturæ, ad  
quas



quas essentialiter respondendum est, redditur manifestum. Quando enim quæro: *Quid est homo?* Respondetur: *animal*. Quando verò pergo: *Quale animal?* respondetur per differentiã: *Rationale*: hoc est, *Homo est animal rationale*, in quid, non in quale: licet rationale, ut qualitas, animal determinet.

XLV. Ad speciale hoc Synonymũ referuntur duæ regulæ posteriores antepredicamentales. 1. *Heterogeneorum*, quorum alterum sub altero non collocatur, *diversæ specie sive forma sunt differentiæ*, ut *animal & scientia*. Nam *Animalis* differentiæ sunt, *terrestre, bipes, volucre, aquatile*: quarum nulla est differentiæ *Scientiæ*. Non enim *Scientia à scientia* differt in eo, quod sit *bipes, &c.*

XLVI. Altera: *Subalternorum generum* nihil prohibet easdem esse differentiæ. Nam *superiora inferioribus generibus attribuuntur*: Quare quæcunque attributi differentiæ sunt, eadem etiam subjecti erunt.

XLVII. In qua regula notetur: Non dicere *Philosophum, Homogeneorum*, sed *Subalternorum generum*. Id enim ob duplicem rationem. 1. Propter *Summum genus*, quod differentiæ constitutivam non habet: atque propterea ejus prædicatio nulla est. 2. propter ipsa genera sub summo opposita. Ut enim oppositũ genus, ut *heterogeneum*, non tribuitur inferiori opposito: ita neq; differentiæ eius constitutiva. Atque hæcenus de Synonymis.

Corol.



# Corollaria.

- I. *An Deus prædicetur de tribus Personis, Patre, Filio & Spiritu Sancto, tanquam Genus de Speciebus, vel Species de Individuis? Absurdissima est affirmativa. quippe tres Deos realiter distinctos introducens.*
- II. *An nihilominus prædicetur  $\sigma\omega\omega\nu\upsilon\mu\omega\varsigma$  & essentialiter? Affirmatur rectè.*
- III. *At tantum sunt duæ illæ species. Velenim Species de Individuo, vel Genus de Speciebus  $\sigma\omega\omega\nu\upsilon\mu\omega\varsigma$  prædicatur? Sic est. Sed nihil derogat nostræ sententiæ. Vtenim res est, ita & prædicatio: At res hæc est divina & inusitata. E. & prædicatio in Logicis quoad speciem inusitata erit.*

**F I N I S.**



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the texture of the paper.





06 A 970

ULB Halle 3  
004 545 079



56

10 A









